



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri  
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædidit usq[ue] in annum  
præsentem XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina  
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

**Luther, Martin**

**Basileae, 1520**

**VD16 L 3411**

Praeceptvm Sextvm, Non Moechaberis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34878**

cens manibus & mundo corde. Quare ferme omnes beatitudines Matth. v. in isto præcepto includuntur, ipsumq; exponunt. Nam, Beati mites, beati misericordes, beati pacifici, beati patientes, beati mundo corde, hic manifeste includuntur. Quod si beati pauperes, beati esurientes iustitiam, beati lugentes, eos significat, qui se agnoscunt non implere hoc mandatum, & ideo lugere & cupere ac esurire, quis dubitet quin sint hic, aut saltē tales esse oportet, ut hoc præceptum & quodlibet aliud impleant.

Esurientes  
iustitiam  
Lugentes.

Igitur in hoc gradu sunt omnes cogitationes malæ cum ipsa radice earum, scilicet irascibili uirtute prona ad uindictam, ut sunt iræ, inuidiæ, suspiciōes malæ, amaritudines, rancor &c. Et sicut hic est primus, ita habet pauciores species, q̄ proximus post eum. Nam homicidiū in opere habet plurimas, ut homicidium, fratricidiū, uxoricidiū, parricidiū, sacrilegium &c.

Ac per hoc patet, quomodo in isto præcepto sunt quatuor gradus, & in singulis gradibus adhuc mihi gradus; & ideo nullus est in hac uita, qui non sit in aliquo illorum. Beatus autem qui in supremis, infelix qui in infimis. Nam mitas est cœlum, ira est infernus, medium autē ex utroq; est hic mundus. Ergo illuc ascenderunt tribus, tribus domini, hic descenderunt in lacum & infernū uiuentes, quanto propius mititati, tanto & ipsi cœlo &c.

Quare non fatis est pro hoc quarto gradu, esse non irascentem fratri, nisi si mus etiā mitissimi in eum affectus & suauissimi cordis. Quod cū non simus ad gratiam Christi fugiendum est, ut de sua plenitudine nostrū suppleat interrim defectum, donec & ipsi perficiamur.

#### PRAECEPTVM SEXTVM,

#### NON MOECHABERIS.

**O**Breuiſſimum uerbum, sed latissima sententiā, ideo interpretatione opus habēs, quare Christum audiamus, qui Matth. v. dicit: Audistis quia dictū est antiquis, Non moechaberis, ego autē dico uobis, qui cuncq; uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo. Breuiter ipse quoq; loquitur, quia relinquit ex præcedenti præcepto eādem graduū fieri distinctionē, ponēs eū tantūmodo, qui est in corde. Quare & nos hic eosdē quatuor ponemus, scilicet in affectu, signo, uerbo, opere. Hoc em̄ præceptū ideo exposuit dominus, quia antiqui (id est, Iudæi) ipsum accipiebāt secundū uim & rigore uerbi, ac ita docebant, & irritum faciebant hoc mandatū, sicut & omnia alia: Quod nō esset adulter, nisi qui opere id impleſſet; nihil de cōcupiscentia, signis aut uerbis solliciti, ideo immundi facti sunt. Et in hac sententiā sua ira steterūt, ut cōtra eos Hieremias diceret: Unusquisq; ad uxorem proximi sui hinniēbat, & facti sunt sicut equi emissarij. No uis itaq; id est, nobis aliter dicit, ut omnis cōcupiscentia hic euacuetur.

Dicit enim B. Augu. hoc loco de ser. do. in monte, quod nomine moechan-  
tium, qui hoc capitulo cōmemorantur, omnem carnalem & libidinofam concupiscentiam oportet intelligi.

Moechia om-  
nē affectū li-  
bidinosum in-  
cludit.

Primus itaq; gradus est opus ipsum foris, quod sine dubio ex cōcupiscentia intus pcedit, ut ibidē pbat B. Aug. Si autē ois cōcupiscentia carnalis ibi phibēt, ergo & omē opus quod ex illa pcedit, idcirco ponunt multę differentię operū.

T iij Fornicatio

- 1 Fornicatio simplex, solutus cū soluta, a quo distinguunt alij
- 2 Meretricium, quod illa sit unius consuetudo mulieris, hoc autem in multis, uagus ardor libidinis.
- 3 Stuprum, quod est uiolatio uirginis.
- 4 Raptus, quod est, cum rapitur filia uel filius, in quo & furtum simul est, & maximum furtum.
- 5 Adulterium, quod quandoq; est simplex, quandoq; duplex, secundum quod uel ambo fuerint coniugati, uel unus tantummodo.
- 6 Incestus, est contra sanguinitatis honorem.
- 7 Sacrilegium, quod est, cum religiosus, sacerdos, monialis, & omnes alij qui deo continentiam uouerunt, fornicantur.
- 8 Excessum in matrimonio quidam addunt.

Hi gradus in opere sic uariant, & sunt inuicem excedētia & excessa, secundū quod circūstantiā mutant. Nā sic & in homicidio p̄cedenti p̄cepto, p̄hibite sunt multae operū differētia, ut dictū est, secundū differētes circūstantias.

Lex est lux  
qua uideēt hu-  
mana miser-  
ria.

Quamuis autem omne p̄ceptū dei sit uelut lux, quo cognoscatur quid sit homo, mundus, & caro, & quantū a deo simus remoti, tamen hoc p̄ceptum p̄cipue illud ostendit. Apostolus enim dicit, per legē cognitio peccati, ergo lex est lux, qua lucente uidemus innumerabilē miseriam humani generis.

Nō deest p̄f-  
perpetui lu-  
ctus causa.

Quis enim tam est lapis, ut si audiat haec p̄cepta dei, & illis eū illuminantibus, immo mundum totum ostendentibus, si etiam attendere uelit, q̄ infinitus numerus hominū extra p̄ceptorū uitam agant, possit saltem a gemitu & lachrymis cōtinere: si nulla alia esset causa, quare nunq̄ gaudere deberemus, sed semp lugere: haec sola satis esset, si hominū uitam cū ipsis p̄ceptis dei ante oculos cōpararemus. Ibi em̄ uideremus, quomodo humanū genus sit miserissima perditionis massa, cum tam rari appareant, qui in p̄ceptis dei uiuant & agant, & p̄cipue in isto p̄cepto. Nonne horrendū est tot gradus operū esse quibus contra hoc p̄ceptum agitur? Et homines sine ullo timore in illa ruerent ac perire? Et adhuc ridemus talia. Igitur uelut lucernam hoc p̄ceptum attendamus, & per ipsum infinitos casus hominum. Tum uidebimus quod mundus iste sit horrenda Lerna, & inferno proxima, & parum iustitiae & ueritatis in eo, immo scriptura dicit, quod omnis homo uanus & mendax sit: quare uere infernus est in mundo.

Simplex coi-  
tus.

Prima itaq; miseria hominū est simplex fornicatio, in qua peccant non tantum ij qui faciunt, sed & qui fouent, auxiliant, consiliant, non resistunt, ridēt copulant, mediant, ac maxime qui occasionem dant.

Fouentes.

Fouent autem, qui uel hospitantur in domibus suis, uel si principes & maiores ac iudices nō prohibēt, sed permittunt. His nihil proderit, quod ipsi non fornicant, dicetur enim eis, Si uidebas furem, currebas cū eo, & cum adulteris tuis portionem tuam ponebas. Haec fecisti, & tacui. Existimasti inique, quod similis ero tui, arguam te, & statuam contra faciem tuam.

Mediantes.

Et ista miseria, heu quāta pestilentia nūc regnat, ubi aequales ab aequalibus erudiunt, ducuntur, perduntur tam inter iuuenes, uirgines &c.

Mediant, ut qui sunt internunciij & copultrices, de quo uide pulchram historiam distin. v. c. lxxx. speculi exemplorū. Hi autē propriū opus agunt diaboli. Nam quod diabolus nō potest, nec posset per se, efficit per illas.

Nō resistētes

Non resistunt autem, qui nec movent aut corripunt secundum mandatum Christi, neq; compatiuntur animae eorum; nec pro eis orant, sicut decet Christianos.

stianos. Insuper & recitant & rident, iocantes in perditione proximorū, cum ut dixi, iste sit ut magnæ miseræ status inspiciendus.

Occasionem autē dant, qui lubricis gestibus ac uerbis impudicis, aut exquisito ornatu irritant cōcupiscentias aliorū, maxime si id intentione faciāt: nam ornatio illa immoderata semper est causa, licet per accidens concupiscentie, ut in choreis, plateis, conuiujs &c. Væ autem illis, qui impudicis uerbis innocentium corda uulnerant, ut nunc horredus mos est, in hospitij publicis, negociatoribus cōuenientibus. Non est, ut aiunt, necesse pedicōlos in pellicium seminare, qui sponte sua nascuntur.

Cultus im/  
modicus.

Nam caro nostra in primo peccato duplici uulnere est grauissime percussa. Primū est offensibilitas, alterum cōcupiscētia, quæ duo uulnera per præcepta nobis manifestant, sed per gratiam sanantur. Sed peius est uulnus cōcupiscentia, quo minus dolet & affligit, sed delectabiliter mouet, ideo a stultis nō reputatur malum, cum sit duplo peius q̄ alterū, ita ut scriptura dicat: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo in umbilico uentris eius. Ante enim peccatum nihil erat quod offendeat, nihil quod libeat. Nunc autem utrunq̄.

Quapropter Christianus homo debet hoc scire, quod quando sentit se ad iram moueri, uel ad concupiscentiam, non secus putet q̄ si mortiferum uenum sentiat, & ulcus pessimū, & gemat pro illo ad dominum ut sanetur. Nam uerissimū est, quod hæc titillatio licet iucunda & suauis sit, tamen est ignitissimus serpentis antiqui morsus, horribilē cōscientiæ paritura cōfusionē & amarissimam amaritudinē. Atq̄ per hoc mouetur ad gratiam quærendam, sicut habet figura Numeri, quod morsus ab ignitis serpentibus ad aneum serpentē suspicientes sanabantur. Ita & titillatus carne, ad Christum crucifixū debet respicere. Nam hinc redditur ratio, cur dominus non contentus, quod per seipsum homo pronus est ad malum, adhibet tentatorem & impulsorem diaboli, scilicet ut quia homo negligens est in quæreda sanitate sua apud deum, ideo urget eum tentationibus, ut cogat eum quærere misericordiā & gratiam dei.

Concupiscē/  
tia suborien/  
te homo ti/  
mere debet.

Secūdo etiam ideo, ne forte in donis sibi datis extollatur. Sic Apostolo Paulo, sic S. Hierony. fecit, sic multis alijs usq̄ ad mortem. Vide in speculo exemp. Litera, Tentatio.

Sunt autē alij qui uehementissime rapiuntur hoc malo; Alij uero mitius, alij modico. Nullus tamen sine gratia dei cōtinet, ut Sapient. octauo. Et ut sciui, quæ aliter non possum esse cōtinens, nisi deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum, alij dominū &c. Ecce quō a morbo isto per orationē, cur rationē quærere oportet; & magna sapientia est, agnoscere hoc malū suū & remediū locum. Sic & B. Chrysostomus martyr dicit: Errat qui se suis uiribus putat castitatē obtinere posse. Vnde B. Augu. lib. j. de ser. dñi in mon. Quisquis carnalem delectationē aduersus rectā uoluntatē suam rebellare sentit, per consuetudinē peccatorum, cuius indomitæ uiolentiæ rapitur in captiuitatē, recolat quantū potest, quantā, qualemq̄ pacem peccando amiserit, & exclamet. In felix ego homo, quis me liberabit de morte corporis huius? Gratia dei per lesum Christū dominū nostrū. Ita em̄ cū sese infelicem exclamat, lugendo implorat cōsolatoris auxiliū, nec paruus est ad beatitudinē accessus, cognitio infelicitatis suæ. Aurea hæc sentētia. Nō em̄ dicit qd ridere, placere, gaudere debeat in titillatiōe, sed lugere, quæ uenenū mortis in se sentit. Deinde: Vbi sunt q̄ liberum arbitrium iactant: cur nō cessant statim ut uolunt: immo cur, non uolunt nec possunt uelle? Cur S. Hiero. & Paul⁹ nō potuerūt cessare a stimulo carnis?

Nullus sine  
gratia dei  
continet.  
Cōtra libidi/  
nē, remediū  
oratio.

Gratia dei  
ubiq; indige  
mus.

Qui hic lu  
gent, confo  
labuntur.

Tanto castior  
quāto magis  
dolet se castū  
esse nō posse

Castitas im  
mūdis cogi  
tationibus nō  
perditur que  
inuito obre  
punt.

Sacerdotum  
tentationes.

Si enim uoluissent, utiq; factum fuisset, sed nō potuerūt etiam satis uelle, ideo contra suum uelle uolebant. Eadem ratio est & de ira: cur enim nō mox qui/escunt, qui irascuntur si possunt, immo si uolunt: sed neq; possunt, neq; uolūt eo q; uoluntas eorum iam alio est rapta & captiua ducta.

Tertio consolatorium est: Quod qui lugent hic, consolabuntur. Sic enim sapientissima dei misericordia nos mirabiliter deducit, dum ex ueneno ipsum uenenum expellit, & de ipsa luxuria nobis efficit emplastrū castitatis, dum ideo illam sinit irruere, ut homo eam sentiens gemat, lugeat, gratiā querat, & sic eo maiore affectū castitatis acquirat, tanto enim castior est, non quo quietior, sed quo dolentior se castū nō esse posse, ut uult. Atq; ex hinc, licet hęc oīa ad quartum gradū infra ptineant, tamē ne excidant, occasiōe data accipimus, quod cōsolandi sunt, qui sentiunt sese uexari talibus stimulis, ut nō stulta opinione statim datis manibus sese tradant desperationi, quasi nō sit castus, qui aestuat medullis & cogitationibus. Periculosissima est hęc cogitatio, & in omne peccatū operis inclinatissima, ppter desperationē. Sic enim iuuenis prius cogitationes carnis nō expertus, cum credat, castum esse nō posse, nisi nullas habeat, statim dicit: Quid differo opus, unum est si & facio, quia amissa tamē est in corde castitas. Non sic o miser, non sic, non est perdita castitas cogitationibus talibus: Immo nunq; castior fuisti, si tamē sentis te inuitum illas habere. Nam castitas sicut & omnis alia uirtus uiua, ita est abscondita, ut non possit cognosci ab eo qui habet, sed a solo deo. Abscondit enim deus omnem uitam sanctorum ita profunde, ut ipsi eam scire non possint, secundum illud Psal. j. Quoniam nouit dominus uiam iustorum. Igitur sicut uiua & uera gloria iusti, est in ignominia, uera sapientia in stultitia, uera quies in tribulatione, uerum gaudium in luctu, uera libertas in captiuitate, uera diuitia in paupertate. Ita & uera castitas est in luxuria, & quo foedior luxuria, tanto speciosior castitas. Heu quod hęc sapientia incognita hominibus est, quantum damnum facit. Verū autem signum uiuæ castitatis est hoc, si se sentiat homo habere displicentiam in praesenti, non quod tota sit displicentia, tunc enim non staret titillatio, sed mixta, nunc uult, nunc non uult, nunc infra, nūc supra, ita quod sicut rota uoluitur cogitationibus in luto, & tamen manet propositū castitatis. Nam nisi esset ibi castitas uiua & uera, non persisteret, nec resisteret, sed libere daret habenas cogitationibus, & non sentiret molestiam: quia enim uult & delectatur in cogitationibus, & tñ simul sentit se nolle, fiunt ei mixtim dulces & amaræ, & p hoc molestæ, cum in neutram partē liberū sibi sit ire, sed medio rotatur statu.

Spiritualis enim ille homo, id est, affectus castitatis, ipse manet & seruat castitatem, licet exterior in membris & corde miras excitet procellas. Ideo in castitatis pugna non secus agitur, q; si nauicula in mari iactetur fluctibus, dormiente Christo in illa. Curandū est ergo solam, ut ipse suscitetur, & imperet mari (id est, carni) & uento, id est, diabolo.

Immittit enim & sacerdotibus saepe tales immundicias, ut retrahat ab altari. Qui est despiciendus, nō solū in nudis obiectis turpibus cogitatis, sed etiam si inclinēt uoluntatē in illa, & suscitet malos motus, immo eo magis ad sacramētū est currendū pro gratiā & auxilio. At nūc multos noui, qui nō accedere uoluerūt, nisi non solū quieti essent ab inclinationibus, sed etiā ab ipsis obiectis turpibus. Nimis stulti obsequutores diabolicae fraudis & nequitiae.

Igitur sic utitur dei misericordia & bonitas malo nostro, ut per ipsum magis promoueat bonum nostrū, ut omnia cooperentur electis in bonū, etiā peccata. hoc totum

hōc totum, ut uitam & gratiam quæ in nobis est, abscondat ac tegat, ne cognitis contenti tepeamus, sed potius ignoratis eis tanq̄ pro non habitis magis suspiremus & gemamus.

Quo autem modo dictum est de castitate, ita & de omnibus uirtutibus, quæ tunc maxime donantur, quando denegantur, & tunc assunt quādo nimis abesse putantur: neq̄ aliter tunc potest homo credere, quin absint & sit perditus. Inde procedit gemitus, odium sui, desyderium earum, & imploratio. Tunc humilibus dat deus suam gratiam, quā postea iterum abscondit & aufert, ut addat maiorem. Semper sub cōtrario abscondens contrarium. Ideo hæc est sapientia quæ trahitur ex occultis, & est in absconditis.

Virtutes ad  
sunt dum nō  
putantur.

Hæc autē castitas aurea est, respectu eius quæ sine malis cogitationibus est, sicut patientia & mititas extra irritamenta qualis est: Nam etiam bestiarū hæc est mititas & saltem gentium. Ita & castitas, quæ est sine luxuria & cogitationibus in quiete, etiam meretricum est & lenonum pessimorum, quia tunc casti sunt, quādo caro expleta quiescit. Cæterū hæc quies futuræ uitæ est. Quare castitas est periculosa ad superbiam, dum patet (id est, est quæta) sed est etiā periculosa ad luxuriā, dum latet (id est, est tentata) dum utrobique periculū, sed superbiam maius q̄ luxuriā. Igitur utrunq̄ sit.

Castitas ab  
scōdita, uera  
castitas.

Præceptum non impletur spiritualiter, dum adhuc cōcupiscentia in nobis est, qua fit, ut de castitate præsumere, ac præcepti impletione nullus omnino possit, sed tantū accusare sese & confiteri peccatū suum.

Rursus eo impletur quod spiritus odit hanc concupiscentiam, ideo ipse est purissimus ab ea, & uere impletor præcepti, quia cōsentit per omnia legi, eamq̄ approbat & diligit, dum suam miseriam odit.

Alij uero luxuriosi, nō abscondūt suam castitatē, sed extinguunt potius. Nihil est ergo quod gloriant̄ sese nō nosse castitatē suam, nō huc pertinent.

Secunda est meretricum, quod est magnum malum, ubi libido transit in habitum & cōsuetudinē, qui difficillime curantur. Nam scriptura dicit: Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. Qui autem paruulos suos sinit crescere, in magnos gigantes inueterascere & confortari, quomodo tunc allidet, & non potius illidetur?

Scortatio pe  
riculosa pro  
pter cōsuetu  
dinem.

Et hanc nobilissimam spiritus sancti doctrinam deberent parentes filijs suis infundere, ut non tantum uī coercerentur, sed etiam uoluntate ducerentur ad castitatem.

Frustranea enim est pugna castitatis, nisi hæc regula seruetur spiritus sancti scilicet petra est Christus, paruuli nostri sunt mali motus, mala desyderia, quæ cū quis senserit, quid faciet: quomodo uincet: audī, non aliter nisi eos ad petrā allidendo. Quomodo hoc: quia sicut qui manu ad lapidem terit uermiculum, sic uoluntate & cogitatioe tangēdo Christiū, statim conerit mala cogitatio, solum tenta & uidebis q̄ iucundū sit sic desyderia conterere. statim enim ut cor passum Christum tangit, omne malum recedit. Sic figuratum fuit olim in lege Numeri quarto. Quando a serpentibus ignescens percussus, per aspectū ænei serpentis in ligno pendentis, liberabantur. Porro ignescens serpens, est lubrica illa, molliterq̄ reptans libido cogitata. fuge, fuge, tam immanem colubrum: accendit enim & mire facit carnem prurire & ardere. Sic etiam Gene. iij ipsa coneret caput tuum (id est, initium & primum motum fidelis anima conerit) alioquin grandis factus, aut totus illapsus inficit & interficit. O si in tempore libidinis mouentis, tantum possemus figuram reptantis uenenati serpentis

Fugiendā  
libido.

serpentis

- Stuprum.** *serpētis cogitare & applicare mysteriū, facile fugeremus cogitatiōe ad Christū*  
*Tertia species est Stuprū, quod est uirginis corruptio, quod olim in lege mi-*  
*tius puniebarur, q̄ fornicatio aut meretricium, quia tenebatur eam dotare, aut*  
*in uxorem ducere. Verū nunc est uehementer magnum, quia tunc uirginitas*  
*summū erat opprobriū, nunc autem summa gloria: tunc damnabile dedecus,*  
*nunc incōparabile decus, ijs saltē qui nō p̄posuerunt nubere. Nā qui p̄ponūt*  
*matrimoniu, nō habent actuale tm̄ decus, sed possunt habere, si ad uirginitatē*  
*animent; de qua multi multa & magnifica scripserunt, quia uere nulli uirgini*  
*potest fieri restitutio. Sane tamē hoc intellige, quia uolenti nō adeo tenetur, in*  
*uita autem non potest tolli, potest autem induci & sic tolli.*
- Virginitas  
incompab/  
le decus.**
- Raptus.** *Quarta species est Raptus, hoc plectitur capite in iure, quod est nō tm̄ uirgi-*  
*nis, filia, aut ancillae, sed etiā uxoris, aut alius ad suā curam p̄tinētis, sed maxi-*  
*mum est raptus uxoris. Fit autē raptus q̄nq; cōsentiēte puella, puta inducta*  
*blandicijs; aliq̄n inuita, hoc maximū est. Sed legunt multa exempla, q̄bus nō*  
*prosperare cessit. Guarinus Veronensis de quadā Alda uirgine miserabilem ca-*  
*sum elegiaco carmine composuit, quae secuta raptorē, relictis parentibus, tan-*  
*dem ab eo in sylua constuprata & abiecta, cum puderet ad parentes reuertī, pe-*  
*tijt gladio percuti ab eo. At ille sic fecit, & occidit eam. Hoc peccatū etiam fur-*  
*tum includit, & quidem grauissimū omnium.*
- Adulterium** *Quinta Adulteriū, quod est perplexissimū & grauissimū quo ad poenā, sed*  
*negligitur hodie nimis. Hoc uitium est causa multarū quaestionū, de possessi-*  
*one, utrum filiū spurū debeat marito proderē. Vide Angelum in Summa, tra-*  
*dentē regulas. Sed qs audebit credere regulis, aut casum in terminis dare pōt?*  
*uarij sunt animi uiuorū, & aliter hodie, aliter forte post annū cogitabunt, etiā si*  
*hoc anno patientiā haberent in uxore adulteriū cōsistente. At certe amaritu-*  
*dine dignū est, quod uir corpus suū dedit pro corpore mulieris, & alius utitur*  
*corpore, pro quo ipse suum propriū dedit; p̄pter quod sedet in arte sua, p̄pter*  
*quod omnia facit, patitur; deniq; seruū se fecit, & alligauit ad multa, qui uxori*  
*sefe alligauit. Et ecce alter hāc omnia cōtaminare audet, quis digne ferre pos-*  
*sit? Vide etiā legem zelotypiae olim, qua nunc mulieres sunt leuatae & exone-*  
*ratae, ideo eo gratius uiris suis adhærere deberent.*
- De puero in  
adulterio cō  
cepto, stultis  
sime cōsulūc  
summissa.**
- Incestus in/  
ter cōsanguī  
neos.** *Sexta Incestus, quod uulgo bluotschand uocatur, quia ignominia consan-*  
*guinitatis & propinquitatis est, cui eo maior debetur honor, quo propinquit-*  
*or. Nam & in lege dominus certos gradus p̄hibuit, Et quondam, viij. gradus*  
*erant prohibiti. Nam in lege fere secundus tantū gradus prohibet cōsanguini-*  
*tatis & affinitatis; quia nondū erat gratia sanans concupiscentiā, sed regnabat*  
*lex irritans & augens eam.*
- Sacrilegium.** *Septima Sacrilegium est, ubi iam non tantū castitas polluitur, sed etiam quae*  
*deo soli fuit oblata, tollitur, & sanctū prophanat. Verū hoc ex institutione ec-*  
*clesiae magis q̄ ex deo est in sacerdotibus, sed in religiosis grauissimū est, quia*  
*sponte sese cōsecrauerunt dño, & sese subtrahunt rursus.*
- Excessus cō/  
iugum ex ni/  
mio amore.** *Octaua additur, Excelsus coniugum, quod ut Be. Ambro. allegatur lib. se-*  
*cundo, contra Iul. Be. Augusti. Ardentior amator propriae coniugis, adulter*  
*est. De quibus Apostolus, j. Thessa. iij. Hāc est uoluntas dei sanctificatio ue-*  
*stra, ut abstineatis uos a fornicatione (Hoc primum) deinde, ut sciat unusquisq;*  
*q̄ uestrum, uas suum (coniugem suam) possidere in sanctificatione & hono-*  
*re, & non in passione desyderij, sicut & gentes quae ignorant deum. Et. j. Pet.*  
*ij. Viri similiter secundum suam cohabitantes, infirmiori uasculo mulier*  
*bri impar*

brī impartientes honorem &c. de quo satis supra. Sed difficile est eis regulam tradere, nisi quod uitiosum est ad omnē motum carnis, satisfacere libidini & concupiscentiā, hoc est enim in passione desyderij esse.

Sequuntur nunc tres aliæ species.

Mollicies, quā quisq; uigilando polluitur apud seipsum. Zodomia, qua uir uiro, mulier muliere abutitur, uel etiam uir muliere, & mulier uiro, quæ omnia turpiora sunt, q̄ nominare liceat. Bestialitas, de quibus Leuiti. xviij. uide, cetera ad confessionem pertinent.

Mollicies  
Sodomia  
Bestialitas

Ultra hæc sunt pollutiones nocturnæ, quæ de se non sunt peccatum, licet lex Deu. xxiij. Si quis inter uos fuerit homo, q̄ nocturno pollutus sit somno, egredietur extra castra, & nō reuertetur, priusq; ad uesperam lauetur aqua, & post solis occasum regredietur in castra. Hoc est mystice, sic pollutus (licet & ipse aliud significet) debet abstinere a cōmunionē sanctorum, id est, sacramento, donec sol (id est, æstus & ardor relictus ex pollutione) sedatus fuerit, & sic lotus humili confessione accedere. Habet enim sapius sui causam, quæ peccatū est ut sunt crapula, ocium, sexus alterius conuersatio aut memoria.

Pollutiones  
nocturnæ nō  
sunt peccatū

Deniq; sunt etiam pollutiones uigilantiū & diurnæ, sed inuoluntariæ, quæ irruunt multis, dum longe aliud agunt, ut dum fricantur, equitant, uehantur, id est, sine causa sua, quos scriptura seminifluos uocat, ut Leui. xv.

Sequitur alter gradus mœchorum.

Qui est in uerbis, ut quidam turpissime loquuntur de carnalibus peccatis, contra Apostolum Ephe. quinto: Fornicatio autē & omnis immundicia, aut auaritia, nec nomine in uobis, sicut decet sanctos, aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem nō pertinent, sed magis gratiarū actio, id est, ne sit fama uos tales esse.

Mœchi in  
uerbis.

Tria posuit uitia linguæ secundum concupiscibilem, scilicet turpitudinem, quæ est ipsa obscœnitas, impudicitia, & inuerecundia uerborum. In qua dupliciter peccatur.

Primum ab ijs, qui de istis turpitudinibus uelut risum & consolationem in uicem sibi præstant, tanq; sit iucunda res, de qua loquuntur. Hic alius nihil aliud facit, q̄ ut ostendat q̄ obscœnus & ipse possit esse, omni turpitudine nominans membra & opera membrorum. Alius uero historias ad hanc rem pertinentes, omni licetia recitat, tum ridetur, res optima uidetur, donec monachi & sacerdotes etiam adducantur cū suis peccatis. Qui morbus heu q̄ dire hodie regnat in hospitij & tabernis, ut piculosum aut saltē pœnitendū sit aliquē religiosum uel pudicū hominē peregre proficisci.

Spurio loqui  
peccat

Obsecro per deum, uidete tamen quid isti faciant. Primum, si sunt Christiani, ut nominari uolunt, ita deberent diligere uerecundiam, ut nec paterentur ea nominari inter se, si prohibere possent. Secundo saltē dolerent, si nō possent. Tertio super historias lapidorum, uel sacerdotum, uel religiosorum, uel principum, uel magistratum (horum enim eo iucundius recitantur uitia, quo efficacius & licentius præbent exemplum imitantibus) non secus dolere, q̄ si per proprio casu, sic enim requirit charitas, immo quo altior esset status, eo magis gemere & deum pro eis orare. Hoc enim esset Christianū.

Lapsis cōdo  
lendū ex cha  
ritate, non re  
citanda sunt  
uitia eorum.

Iam nunc uide q̄ longe sint a moribus Christianismi, insulsiissimi homines. Primo non solū hæc non faciunt, sicut certissime debent Christo: Verum secundo sese mutuo in rebus pessimis latificāt. Tertio seipso ad concupiscentiam fricant & prouocant his ignitis iaculis.

Spurcarū fa  
bularū narra  
tores.

Quarto



Quarto alienam uitam ac famam polluunt detractioe ista grauissima, mortuos putres reuelantes, qui mortuos sepelire debuerat. Quinto, alienam & suam miseriam ac ruinam irident, ac latantur in sua perditione & aliorum.

Libidinans  
animus uul-  
neratus est,  
& ridemus i  
fani.

Obsecro cogitate, si dominus dicit, quod de omni ocioso uerbo, quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die iudicij, ubi isti quaeſo apparebunt. Vae uae q̄ late regnat ista peſtis. Similes sunt isti, Primo furioſis, immo quis tam furens in sua miseria & plaga rideat & gaudeat. Nonne miseria miseriarū est: dolet ulcus, aut oculus, & non cessat querulus gemitus, & adeo nullus ridet, ut etiam ridentes uelut pessimos omnium odiat ac detestetur, quaritur compatiens & adiuuans, aut consulens. Ecce autem titillat caro, immo grauissime dolet conscientia, deinde ruit ipsa uel anima alterius proximi, & adeo non quaritur compatiens aut consulens, adeo non doletur ac gemitur, ut etiam qui condoleat ac consulere uelit, aut prohibere, irideatur, despiceatur, odiatur. Magne deus quando aperiemus oculos, ut cognoscamus quid sit mundus. Nonne ista est peruersissima peruersitas: an non libido est uulnus supra omne uulnus. Nonne ulcus & plaga super omne uulnus & omnem plagam. Sicut Hierre, decimo dicit: Vae mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Ego autem dixi plane, haec est infirmitas mea, & portabo eam. Et Esaiam primo de populo Israel dicit: Uulnus & lixor & plaga tumens, non est circūligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo. Et iterum: A planta pedis usq; ad uerticem, non est in eo sanitas. Haec sunt plagae & uulnera non ab homine, sed a diabolo inflicta. Vide itaq; uulnus quod facit homo, ploratur; quod facit satan, ridetur, & dulcissimum habetur. Sed heu dulce putatur. Beatus autem ille, qui ipsum intelligit & aduertit esse uulnus amarissimum, sicuti uere est. Nam licet eius amaritudo non sentiat, sentietur tamen inestimabiliter tandem in conscientia. Unde Prouerbiorum quinto. Ne intenderis fallaciae mulieris, (id est, carnis & sensualitatis) fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta sicut gladius biceps. Et uicesimo tertio: Ingredere blande, sed in nouissimo mordebit ut coluber, & sicut Basiliscus uenena diffundet. Ideo discamus per deum, quod in talibus uerbis ludere, ridere, incundare, hoc idem est, quod de propria morte & miseria gaudere, quod nullus facit, nisi furiosus uel plusq; furiosus.

Prædicātes  
uitia sua.

Secundo similes sunt ei, qui Marci quinto, Lucae octauo, scribitur possessus a legione, qui sine uestimento, neq; in domo manebat, sed in monumentis, & catenis uinctus ac custoditus rupit catenas, & agebat a demonio in desertum, & die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens sese lapidibus. Spero, quod si intelligerent turpiloqui suum uitium in isto describi, magis timerent. Quid est enim quod nudus erat, nisi quod turpiloquus etiam propriam ignominiam uerbis nudat: cum debuerit potius tegere, ut sanaretur. Deinde non manet in domo, scilicet cum uiuis, de rebus uiuentium agens, sed in monumentis cum mortuis agens, hoc est, quod uitia & mala aliorum recitat, & in illis totus uersatur. Nam monumentum mystice est memoriale mortui, (id est, fama & historia foetida peccatoris, scilicet principis, religiosi, sacerdotis &c.) Item, Concidit seipsum lapidibus clamans, id est, quod sibi ipsi nocet, tibi sibi uidetur plurimum, iucundeq; prodesse. Sic Esa. tertio: Peccatum suum non absconderunt, sed sicut Zodoma praedicauerunt, licet hoc de Pharisaeica iustitia dictum sit in spiritu, tamen in litera etiam huc pertinet. Item legionem habet, ut nemo possit illic transire praeter eorum sequitiam, hoc est, quod illi multorum  
demonum

dæmonum officium agunt, dum multis nocent. Et ubi sunt blâdissimi, ibi sunt  
 sæuissimi, ut nulli sit sine periculo, cum eis conuersari, ut & supra dixi. Scio  
 autē quod nullus tam stultus sit & insensatus, quod si talem hominem uidisset  
 ridere potuisset, sed potius fugisset quantū potuisset. Et tamen ridet & ridetur il  
 le, cuius iste figura tūmodo fuit. Deniq; & hoc ibi dictum fuit, quod nec cate/  
 nis, nec custodijs potuit retineri, quin ageretur ruptis uinculis in deserta, nemo  
 potuit eū domare. Hic prope consentit cū apostolo Iacobo. Nullus hominū po  
 test linguam domare, ita nullius prohibitione, nullis uerbis euangelij coeren  
 tur illi, quin lingua indomita erumpant atq; uagentur, ubi solent, nudī, lacri,  
 nudantes, lacerantesq; cæteros similiter. Et ut in detestabilissimum uitiū, etiā  
 impure loquar, Nonne fies sunt bestię immundæ, quod stercore hominum de  
 uorant? At illi in stercore suo & alieno linguam & dentes uersant. An est ster/  
 cus corporis peius q̄ sterco animæ? Oportet enim corā suis uisibilibus loqui, ut  
 intelligant. Si ergo uideris porcum uorare oletum, intellige ecce, talem esse ob/  
 scœnitatis & turpitudinis fabulatorem.

Apostolus sane dicit, quod inhonesta nostra abundantius honestamus, illi  
 uero etiā honesta per inhonesta inhonorant. Quis autem ferat, ut alius reue/  
 let eam rī su sibi posteriora, aut pudenda seu ignominia? At quæ ignominia ma  
 ior, q̄ sordes peccatorum in nobis & proximis? lex aut̄ prohibuit, ne proximo  
 rum ignominiam reuelemus.

Secundo etiā peccatur, obscœnitate, quando talia corā pueris & puellis in/  
 nocentibus nominantur & dicuntur. Rei aut̄ sunt omnium peccatorū, & mortuū  
 quæ ex illis sequuntur. Aetas em̄ mollis & inexperta harū rerum, facillime pol/  
 luitur, & quod peius est, tenacissime seruat audita turpia, sicut macula in purū  
 & tenerum pannū cadēs tenacius hæret, q̄ impurum aut rudiolem, quod & ex  
 perientia didicerunt Gentiles, ut Horatius.

Corā pueris  
& puellis par  
ce loqui.

Quo semel est imbuta recens seruat odorem

Testa diu.

Et Iuuenalis.

Maxima debetur puero reuerentia, siquid

Turpe paras, huius tu ne contempseris annos.

Quid autem faciunt qui hoc agunt? Primum, utiq; cum magnum bonum sit  
 ætatem teneram fouere, custodire, promouere in pudicitia & uerecundia, sicut  
 dicitur, quod gratissimum sacrificium deo, est zelus animarum: omnium studia  
 deberent eo uigilare, ut pueros & puellas custodirent & seruarēt, ne quid disce/  
 rent, uiderent & audirent obscœnitatis, qui per se ardent medullis, nō cogitan/  
 dum quomodo igne adiecto accendantur, sed potius aqua apposita extinguan/  
 tur. Nō solū id nō faciūt, sed etiā propriissimo dæmonū officio usi, corrumpūt  
 innocuas animas suis pestiferis fabulis turpitudinis. Diabolus enim corruptor  
 mētium dicitur, sed non corrumpit, nisi ministerio linguæ illorum, qui sunt ex  
 parte illius & imitantur eum. Quomodo em̄ potest puer aut puella rursus era  
 dicare uerbum turpe, quod semel audiuit: sed semē iactum est, & radicat in cor  
 de eius etiam inuito, deinde crescit in miras & incognitas cogitationes, quas nō  
 audet confiteri, & tamē nescit eis carere. Væ autē tibi, qui huic simplici & igna  
 ræ huius rei mētī, hunc laborem, hoc periculum, & hoc uenenū infudisti, Cor/  
 pus non uiolasti, sed animam incomparabiliter nobiliorem (quātum in te fue/  
 rit) constuprasti. Nam per aurem infudisti & impregnasti eam foetu nocentissi  
 mo. Vnde Bapti. Mantua.

Pueri & pu  
ellæ ardent.

Per sensus quasi per riuos,

Venus acre uenenum,

V

Influit

Influit in mentem, quod si male cauta recepit,  
Vulnus agit sola diuum medicabile dextra.

Puerorū etas  
reuerenda.

Igitur obscenitas istorum maior est q̄ illorū, quod iam non sit tantummodo obscenitas, sed cedes innocētium animarū, & de familia Herodis, qui occidit multos pueros in Bethleem Iudae. Sed uide, nōne ita est, quod nullus pater possit sustinere, ut filij sui occiderentur corpore; quod ergo tibi in corpore tuorum filiorū fieri nolles, quare id audes in animabus filiorum alterius, immo dei, perpetrare? Recte S. Lodouicus rex Frāciae a sua matre didicit, quod filios suos mallet corporaliter uidere occidi, q̄ mortaliter peccare. Sic enim & mater quoq; ad eum dixerat. Sed satis dire illis dominus minatur Matth. xviij. terribiliter dicens: Qui aut scandalizauerit unū de pusillis istis, qui credunt in me, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Vide quanta cura sit Christo de paruulis & innocentibus, quod nouam poenā illis decernit, qui eos offendunt, de nullis enim alijs talem poenam dictauit. Nimirū uolēs, qd noua & singulari poena praeteris sint cruciandi, deniq; sequit. Vae mundo ab scandalis. Neesse est enim ut scandala ueniant, uerūtamē uae homini per quem scandalum uenit. Et infra, Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis, dico enim uobis, quia angeli eorum in caelis, semper uident faciē patris mei, qui est in caelis, Ecce saltem angelorū intuitu uultu parci pueris, & reuerentiam illis haberi. Quod si illos ideo castos dixerit quis, quia uerbis ludunt, re sunt casti, sicut eorum pater Ouidius quoq; mentitur, Crede mihi mores distant a carmine nostro. Vita probata mihi, Musa iocosa mihi. Respondet Christus, os corū compescens; Ex abundantia cordis os loquitur, Qualis arbor, talia & folia.

Ecclesiae reformatio  
in pueris  
incipienda.

Hac est etiam ecclesiae ruina tota, si enim unq; debet refluere, neesse est, ut a puerorum institutiōe exordium fiat. Hac de obscenitate dicta sint. De stultiloquio uero & scurrilitate ad hunc locū nō pertinet, quamq; illa duo nūc apud honestissimos & religiosissimos adeo dominant, ut eo ipso uelint honesti uideri quo stultiloqui & scurriles sunt.

Stultiloquiū  
est Aristotelis  
studium.

Stultiloquiū autē est uniuersae ociose fabulae, in quibus nihil eruditionis & scientiae, ut ipsemet exponit, quae ad rē (inquit) nō pertinet. idem uocat Christus uerbū ociosum, ideo non nisi utilia, aut necessaria sunt dicēda. Tales sunt fabulae aniles, & neniae puellares, Historiae plebanae de Calēberg, Dietrich von Bern Et disputationes de rebus longinquis & extra nos positis. Quod gen<sup>o</sup> sunt etiam opiniones philosophorum, & glossae super Aristotelem, Garrulitates dialecticae, somnia Astrologorum, Stultiloquium enim uocat, quia non sapientiae, sed stultitiae uerba sint.

Facetiae non  
uituperantur

Eutrapelia seu scurrilitas, quae est facetia seu urbanitas, quā Aristoteles uirtutē esse putat, qm̄ scilicet nō turpia neq; stulta, sed iucunda & erudita simul dicuntur ut utilitas intret sub dulcedine comitatis. Itaq; comitas seu affabilitas, seu urbanitas, seu facetia talis quae fit, ut tristes atq; tentati in spiritu recreent, laudabilis est, uerum quae fit sine causa, tantum ad consolationem uanitatis & carnis, praesertim cū huius semper non sit nisi leuitas causa, & sola libido fabulandi atq; ridendi moueat ad illam, non conuenit Christianis. Sic em̄ & B. Aug. in cōfess.

Christianos  
seria decent,  
nec inter amicos  
nugae.

confitetur, Quod nugari cum amicis sit parum Christianum, q; Christianorū res & uerba habere debeant solida & magna seria, plenamq; grauitatē, & autoritatē, ut Psal. ait, In populo grati laudabo te. Porro haec ipsa nugacitas & eutrapelia

trapelia, tanto fit peior, quanto fit in rebus sacrationibus, ut nonnulli importunif  
sima leuitate, abutuntur sacre scripturae dictis ad eam leuitatem, & ridicule iucunde eam  
torquentes illuc, ubi suam quaerunt uanitatem, cum sacris illis uerbis summa &  
reuerentia & terror debeatur semper & ubique.

Tertius gradus Moechorum, qui est in signis, quorum unum dominus expressit  
dicens: Qui uiderit mulierem ac concupiscendum &c. Ecce uisus ipse, qui si/  
gnum sit concupiscentiae, adulterium est. Nonne durissima lex Christi: sed ideo sa/  
nissima & immaculata, conuertens animas. In hoc autem omnia alia signa com- Videre impu  
dice,  
prehenduntur, cum uisus sit minimum & subtilissimum, unde posuerunt aliqui  
quinque lineas amoris,

Visus, colloquium, tactus, post oscula, factum.

Atque hic colloquium etiam aliud intelligitur, quam id quod est turpilocutionum, & ta-  
ctus similiter, item & oscula. Sed de singulis latius. Sunt autem plura, ut uisus, au-  
ditus, colloquium, litera, internuntia, tactus, amplexus, risus, oscula. Non quod tot sint  
adulteria singillatim, quot signa quis fecerit, potest enim uno adulterio haec om-  
nia signa facere, alioquin opus ipsum semper esset triplex adulterium, cum sine  
tactu & concupiscentia non fiat.

Visus itaque primum, Hoc autem est uelocissimum & frequentissimum omnium  
illorum signorum, quia longius, latius, citiusque officium suum agit, plerumque & cla- Oculorum cu  
stodia,  
rius percipit. Ideo tam multa in scripturis de oculorum custodia dicuntur, cum  
nullus sensus tam facile & tot obiectis irriteretur, nec aliorum sensuum aliquis tam  
atrociter uulnerat animam: tanto enim profundius figit in cor, quanto clarius  
cognoscit, ita ut sit prouerbum: Quod oculus uidet, cor non fallit. Et Horatius  
Segnius irritant demissa per aurem,

Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus. Et iterum,

Valdus oblectant &c.

Ut patet experientia, quia nunquam sic mouetur qui de morte audit, sicut qui ui- Visu uisum  
tur & forte.  
det, nec tantum mouetur qui turpia audit & carnalia atque mundana, quantum qui  
uidet. Exemplum esto Alipius S. Augustini, contubernalis, de quo. vi. Confess. scri-  
bit: Quod cum inuitus duceretur ad spectaculum clausis oculis despiciens, tamen po-  
stea apertis, ita raptus est, ut multos quoque adduceret postea & ipse.

Quo circa in iuuenibus & uirginibus ut summus decor est, oculorum incli- Oculorum ta  
ctus corru-  
ptiois signum;  
natio & depressio, ita summum uituperium euagatio & incustodia, ita ut aliqui si-  
gnum corruptionis dent, oculorum euagationes, & uerum est. Eccle. uicesimo sex-  
to: Fornicatio mulieris in extollentia oculorum & in palpebris illius agnoscetur  
&c. Vide ibidem. Aut est signum iam corruptae, aut facillime corruptibilis muli-  
eris. Nam quae syncare casta est, non intendit in uultum uiri, sed confunditur, ut de  
Rebecca Gene. uicesimo quarto dicitur, quod conspecto Isaac sponso suo tulit  
peplum suum, & operuit sese.

Item igitur de quodam sancto uiro, qui cum S. Antonio uenisset Rhomam oculis  
clausis, nihil de tanta ciuitate uidere uoluit, nisi ecclesiam sancti Petri.

Item de Syluano legitur similiter, quod semper uelatis oculis incedebat, neque  
solem hunc uidere uoluit.

Item Iob. xxiiij. dicit: Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem de uirgine (id  
est, iuuenula.) Econtra Dina egressa ut uideret mulieres regionis illius, corrupta  
est. Et Bern. dum quadam foemina fixa fuisset intuitu, graui ultione seipsum coeruit  
Et B. Benedictus ex uisa in seculo foemina, grauissime fuit tentatus. Item quid con-  
tigit Dauid ex aspectu Bersabee, & filius Israel ex Moabitarum aspectu: Nu-  
me. xiiij

me. xij. Item alius tentatus a muliere uisa, cum mortuam audisset, de putredine cadaveris illius sanauit. concupiscentiam. Idcirco uisus nō tantū in praesenti cōcupiscentiā mouet, sed etiam memoria fixus ex praeteritis diu, mirandas suscitāt tentationes. Ideo dicit Hierē. Treno. iij. Oculus meus depradatus est animā meā. Et iterū Hierē. ix. Mors intrauit per fenestras nostras. Et. ij. Per. ij. Oculos habentes plenos adulteriū. Ecce quomodo adulteriū in oculos ponit. Itē Eua primo mota est uisu pomi, quod esset pulchrum &c.

Et de filijs dei Gene. sexto scribit, quod uisu ceciderūt: Vidētes filij dei, filias hominum, quod essent pulchrae, acceperūt sibi uxores, quascunq; elegerant.

Vnde & sapiens docet: Noli intēdere in faciē uirginis, ne cōfundat te uultus eius. Item e contra: Nec puella in faciē iuuentis, propter simile periculum.

Hinc dicit Ioannes, Quod omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis & oculorum, & superbia uitae. Concupiscentia oculorum intelligitur curiositas, multa experendi & cognoscendi per sensus.

Legit de S. Elisabeth, q̄ maritū suum in ecclesia quādoq; iucundius intuita subito fuit a dño correpta. Quid illis fiet, qui in ecclesia fere nihil aliud agunt, q̄ illud Ouidij, Spectatū ueniunt, ueniunt spectent ut ipsa, nihil nisi uidere, uideri, concupiscere, cōcupisci. At sane quodam uelut naturae ingenio, proprium est mulieribus, quod amant concupisci & amari, uiris uero cōcupiscere & amare, licet & utrunq; fiat, ut mulier infantiat cōcupiscendo, & amando, & uir quarendo concupisci & amari.

Mulier amari  
querit.

Sensus nostri  
noxij sunt.

Mira itaq; miseria, quod sensus proprii sunt tā noxij nobis, ita ut uere dixerit Christus: Inimici hominis domestici eius (.i. sensus) Et psalmo. xxxvij. Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterūt. Quid em̄ facit oculorum curiositas, nisi quod aduersus animam pugnat?

Sensualitas  
serpens.

Vnde & B. Augu. uocat sensualitatem serpentē, quod sit lubrica & mobilis multis obiectis, figurata per serpentem in paradiso. Vide itaq; quomodo odiū nostri & abnegationē nostri nō gratis docuerit Christus in euangelio ut odiamus oculos & omnes sensus, omniaq; membra, quoniā captiuam ducant animam in legem peccati, praesertim oculos, unde Ecclesiast. tricessimoprimo: Ne quis oculo quid creatum est?

Oculus insatiabilis est.

Verum non hoc tantūmodo malum est, quod per oculum facit concupiscentia, sed etiam quia non saturat, ut Eccle. primo. Non saturat oculus uisu. Et pro uer. uicesimoseptimo: Infernus & perditio nunq; implentur. Similiter & oculi hominū insatiabiles. Quid ergo pdest oculorū cupiditatē irritare, & finito initio uidendi, infinitū desyderiū, & nullū finē prouocare? Melius est statim ab initio uisum coercere, anteq; dilatet uoraginē suae cupiditatis, quā explere nō possis.

Igitur ut B. August. in regula: Nec uos dicatis habere animos pudicos, si oculos habeatis impudicos. Impudicus enim oculus, impudici cordis est nuncius. Nullus ergo psumat, quod non sit adulter, si opere cesset, oculo tñ cōcupiscat.

Hac de primo & maiore signo.

Auditus im-  
purus.

Aliud est auditus, quo indicat concupiscentia intus ardens, ut qui uel prouocant dici uel cantari turpia (& ij sunt peiores) uel qui tacite & libenter audiunt etiam si non prouocent, delectantur enim in illis, neq; auertuntur, ut ab immū dicia & nocumento. Tertij etiam possunt esse qui nō prohibent, nec arguūt huiusmodi audientem, aut melioribus instruunt, neq; coram eis increpant atq; abominantur talia, ut terrerent audientes, omisso scilicet ij peccant, quod nō sunt solliciti salutis proximi, & perditionis eius negligentes, atq; minus q̄ de-

bent ca/

bent curiosi. Tertium, est colloquium, scilicet cū muliere uel uiro: nam con- Colloquium  
cupiscētia id agit, ut fabulentur, saluent, tractentq; secū, licet honesta quādoq; incendit amo-  
sed non causa honesta. Inde em̄ risus, ioci, fabulæ, colloquia, tantūmodo ut pla- rem.  
ceant sibi mutuo, & sese prouocent ad amorem sui mutuū. Et hoc uitium mu-  
lieres impense laborant, dum amant. In puella autem non tantū hec, sed omnis  
prorsus uerboritas turpissima est. Nec est signū constantis uirginitatis aut casti- Puella loqua-  
tatis, si sit puella loquacula & garrula, præsertim cum iuuenibus. Nam ecce B. cula.  
Virgo quāto textu angeli conuēta, nō tñ nisi id dixit: Quomodo fiet istud &c.  
sed neq; ut ait beatus Ambrosius refalutauit salutantem. Proinde quæ libenter  
uolunt audiri in cantu, aut loquela, rursumq; audire cantum, uel colloquiū al-  
terius sexus, quid aliud nisi eiusdem sexus concupiscētia sese ardere probant:  
Si non arderent, nihil colloquium aut aspectum curarent, sicut alia non curant  
quorū affectu non tenent. At nunc puellæ plurimę tota leuitate huc feruntur.

Quartū, tactus, ut sunt manuū traditio & amplexus, quę & honeste quidē fie-  
ri possunt in specie, tamen cū concupiscētia intus mouēte. Hic iam ignis libi- Tactus miri-  
dinis acriter incendit, ut etiam B. Hierony. dicat, quod tactu ipso statim sexum sice inflāmat.  
intelligit concupiscētia, ideo q; longissime fugiendus tactus, sicut legit de quo  
dā Papa (non memini nūc nomen) quod data manu pro more osculanda, cū ex  
osculo mulieris sensisset titillationem, manu præcidi sibi permisit.

Quintū, est osculū, quod transeamus; hæc autē signa nusq; aguntur & fiūt ue-  
hementius, q; in choreis publicis: mirū, quot & quanta ibi fiāt peccata, quid ibi  
uisus & auditus hauriat, quid tactus & colloquium pariat, breuiter mūdus est  
mundus, immo immundus, & inimicus dei: nec est quærēdum bonū quod deo  
placeat in mundo, peccatum super peccatū ibi urget & addit, ira dei ibi cernitur  
intensa nimis, & tamen ridef, saltatur, gaudetur tanq; in rebus parum nocenti-  
bus, immo bonis & utilibus.

Sextum signū & quidem non leue, est ipse ornatus peregrinus & nouus, qui Vestes & cul-  
nunctot inuentionibus, artibus, studijs feruet, ut nihil nisi furiosum possis dice- tus nouus &  
re mundū; cum tamen nulla sit causa, nisi ut placeant & conforment sese mūdo pegrinus ar-  
Necessitas em̄ aut utilitas, immo & honestas (quæ solæ sunt causæ iustæ) nō re- guitur.  
quirat talia, modicisq; contenta est: quis autē satis de illis potest dicere, cū sint in-  
audita genera sumptus & uestiū: sed acre malum & fomes libidinis sunt ista, li-  
cet nihil curent: credo q; tandem nudī incedent, cum iam seminudī incedant:  
sed sine, dabitur nostris sua moribus ætas: peruenit ita dei super mundū in finē,  
& beatus qui intelligit, quoniā uere ira dei in illos peruenit. Omitto hic etiā  
amantiū, id est, amentium furors, qui nocturnis officijs, amatriculis suis, ludo  
cantu, musica seruiūt, & omnia tentant, ut placeant: hic etiā ipsi mundo stul-  
tas stulticias agunt, ideo transimus illa.

Quartus demum gradus est, ipsa interna concupiscētia de qua satis supra  
dictum est, qua nemo caret in hac uita, sed tamē hoc ipso saluamur, quod ei nō  
consentitur, ut Rhoma, vj. Neq; exhibeatis membra uestra seruire peccato, ut  
obediatis concupiscētijs eius: quanq; enim lex dei immaculata requirit, ut pror-  
sus nulla sit concupiscētia, sed tota & omnino immaculata mundicia, tamen  
misericordia dei interim sustinet, & gratā habet dissensionem noui hominis in-  
tus, ne dominetur nostri omnis iniustitia. Hæc iugiter est mortificanda, ge-  
mitu, uigilijs, labore, oratione, humiliatōne, & alijs partibus crucis, tandem  
ipsa morte.

Ex quibus omnibus patet, quod hoc præceptum nō solum nō est negatiuū,

V iij nisi

Non moecha nisi in facie tantum uerborum & litera, sed maxime affirmatiuum, quia praecipit scilicet Castitatem & continentiam purissimam intus & foris; quis autem sapiat tam stulte, ut castitatem neget esse rem affirmatiuam? sed negatiue praecipitur, dum prohibetur libido, ut purissima sine omni mixtione libidinis precepta intelligatur, ut Psal. xj. Eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.

Ac per hoc iam patet, quomodo per legem fit cognitio peccati, quia concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupisces, Roma. vii. scilicet quia solum opus peccatum putabatur. Igitur non satis est, ut opere non moecheris, non satis, quod uerbo sis pudicus & aspectu, aut alio quouis signo, immo nec hoc satis, quod corde non consentias, nisi etiam tandem purus fias ab ipsis motibus malis, intus ebullientibus: ideo non nisi gemitus pro gratia dei super est cum Apostolo Roma. septimo: Infelix ego homo, quis liberabit me de morte corporis huius?

PRAECEPTVM SEPTIMVM,

NON FVRTVM FACIES.

Spūalis Intelligentia.

**A** Vdiuimus quod praecipitur quintum, Non occides, prohibuit offensam proximi in sua propria persona. Sextum autem, Non moechaberis, offensionem eiusdem in persona sociali, eademque carne. Et utrumque tam in opere quam corde, tam affectu quam effectu: ita ut satis constet, quod spiritualis intelligentia istorum praecipitorum negatiuorum sit ista affirmatiua, ut mites & casti simus, intus & foris, prorsus sine omni, tam amaritudine irae, quam dulcedine concupiscentiae. Quae duo sine charitate spiritus haberi prorsus non possunt, quia sunt fructus spiritus. i. Corin. xij. & Gal. v. Ideo plenitudo legis est dilectio. Haec enim est mitis, & nulli nocet, immo omnibus prodest, & prodesse cupit. Est etiam casta & sancta, ideo neminem polluit.

Duplex intellectus.

Sequitur nunc prohibitio offensionis in rebus proximi, quod aequae sine charitate fieri non potest, saltem in spiritu. Vnde & hic quoque notandum, quod hoc praecipitur dupliciter intelligitur.

Literalis.

Primo ad literam & secundum sonum uocis, sic solummodo opus ipsum furti hic prohibetur, quia dicit: non facies furtum, non utique ait: Non doceas, non ostendas, non cupias, sed, non facies, sic Iudaei intellexerunt, & superbi facti sunt in iusticia sua, tanquam non essent rei prauaricationis. Vnde cum ipse Luca. xvj. huius praecipiti ueram daret intelligentiam, dicens: Non potestis deo seruire & mammonae. &, Facite uobis amicos de mammona iniquitatis; audiebant haec omnia pharisaei, qui erant auari, & deridebant eum. & ait illis: Vos estis qui iustificatis uos coram hominibus, deus autem nouit corda uestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est apud deum. Ecce quomodo corda requirit in iustificatione

Deus cor requirit in praecipitorum iustificatione.

Lex & prophetae usque ad Ioannem: Ex eo regnum dei euangelizatur, & omnis in illud uim facit, facilius est autem caelum & terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere, Ecce uolentia opus est in dei praecipitis, quia tantum cortex uerborum, sed nec unus apex praeteribit &c.

Spiritualis. Pauperes fideles intelligunt.

Secundo ad spiritum & secundum intentionem praecipientis, sic omnem cupiditatem hic prohibet cordis, ita quod sit impossibile impleri illud, nisi sis pauper spiritu